



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Vituperatio lascivarum cantionum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

bestias, ligna, lapides movisse, cursum fluminum stitisse, rauca murmura compefcuisse.

II. (b) Longè verò dulcissima est illa Musica, quæ canit intus, & efferatas animi perturbationes ad rationis numeros, velut ad harmoniam componit. Quod Macrobius observavit lib. 2. in somnio Scipionis c. 3. *Omnis, inquit, habitus anima cantibus moderatur.* Plato quoque in Timæo: *Data nobis est harmonia, non ad voluptates rationis expertes, sed ut per eam, dissonantem circuitum animarum componamus, & ad concentum sibi proprium revocemus.* Et Seneca Epist. 88. *Ad Musicum, ait, transeo, doces me, quomodo inter se acute & graves voces consonent; fac potius, quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi, qui sut modi flebiles: Monstra potius, quomodo inter adversa non emittam flebilem vocem.* Si Platoni credimus, corpus nostrum cithara est, citharædus est animus: cui nunc hæ, nunc illæ fides tentandæ; modò lex oculis, modò linguæ ponenda; modò aures, modò manus adstringendæ; nunc luxuriæ. nunc impatientiæ affectus ad debitam normam revocandi. Hominis christiani princeps cura est, ut quotidie citharam suorum affectuum examinet. Et jam cum iracundiâ suâ litigat, nunc invidiam reprehendit, modò suam somnolentiam extimulat, mox lætitiâ refrænât, inde tristitiâ mitigat. Semper his suis chordis oberrat, totiesque vel remittit, vel severius intendit, donec in harmoniam conspirent.

III. (c) Meritas pœnas dederunt Libethrii, homines ab omni Musarum commercio alieni, elegantiorum disciplinarum stolidissimi contemptores, Orphei & Musices ofores. Hinc à torrente, cui nomen *Sus*, cum horrido murmure, in modum porci grunnientis, superobrutus, dignum crassis auribus acroama fenserunt. Unde adagium: *indoctior Lybethrii.* *Non impediâs musicam,* monet Siracides cap. 32. quod sibi dictum putent *Misonusi*, quibus suavius tinnit æreus in loculis nummulus, aut rudentis in stabulo stridor aselli, quàm Orpheæ sonitus Citharæ, ad haram potius natis, quàm ad Lyram.

IV. (d) Orphei Lyra inter astra relata est. Cur? Quia casta, honesta, sacra cecinit. Videlicet de impiorum Gigantum clade de Herculis laboribus, Corybantum viribus, Minervæ Sacrificiis; de deorum lustrationibus, vaticiniis, auspiciis; de signis & prodigiis: de inferorum expiationibus: de motu & ratione astrorum &c. Orco quàm cœlo digniores sunt illæ lyra, citharæ, voces musicæ, quæ modulatu la-

S s 3

scivo

(b) *Virtutum concentus,* (c) *Ofores liberalium artium.* (d) *Visuperatio lascivorum cantuum.*

sciyo aures vulnerant, animos emolliunt, Veneres stimulant, cupidines animant, theatra infamant. Et illi quoque cantores seriùs sperent sidera, qui fractis in mollitiem modulis, & ambitioso numerorum flexu artem suam referunt magis ad vanitatem, quàm ad pietatem: ad suam arrogantiam, quàm ad Numinis reverentiam, sequentes genus canendi effeminatum, saltatorium, Phrygium, emasculatum, minimè religiosum, vibrantes & crispantes vocem non aliam, quàm qualem describit Juvenalis sat. 3.

Miratur vocem angustam, quàm deterius nec.

Ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Monet suaviter Mellifluus Doctor: *Cantus, plenus sit gravitate: nec lasciviam resonet, nec rusticitatem: sic suavis, ut non sit levis: sic mulceat aures, ut moveat corda: tristitiam levet, iram mitiget: sensum littera non evacuet, sed facundet.* Bernard. epist. 312. ad Guidonem Abbatem.

V. (e) Orpheus, ut scribit Pausanias in Bœoticis, multa humanæ, politicæque vitæ utilia invenit, nam Deorum initia, & universam Theologiam primus aperuit, & quibus ritibus cœlestium iræ placentur, tradidit. Mythologus ait lib. 7. c. 14. Orpheus vir fuit planè sapientissimus, *Lini* auditor, & ut illa ætas ferebat, divinarum rerum peritissimus; post mortem Eurydices, cæterarum mulierum conjugium sprexit, & ideò illi sexui exosissimus fuit, unde hominum consortium fugit, & satis sibi voluptatis ex sua cithara hausit, nunquam minùs solus, quàm ita solus. Hic idem cum in rudes adhuc mortales incidisset, qui sine ullo morum delectu, & sine legibus viverent, ferarumque ritu per agros, nullis conditis tectis, vagarentur, tantùm dicendo, & orationis suavitate valuit, ut ad mansuetius vitæ genus feros homines traduxerit, illos in unum locum convocarit, civitates condere docuerit, legibusque civitatum obtemperare, matrimoniorum fœdera servare: quod fuit antiquorum poetarum munus creditum; & est reipsa, sicut canit Horatius in arte Poëtica:

Silvestres homines sacer, interpretisque Deorum,  
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,  
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones.  
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis  
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda  
Ducere, quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam:

Publica

(e) *Vir sapiens & eloquens.*